

## DE HOMINIS DIGNITATE

1. [132r] Legi,<sup>1</sup> Patres Colendissimi, in Arabum monumentis,<sup>2</sup> interrogatum Abdalam<sup>a</sup> sarracenum,<sup>b</sup> quid in hac quasi mundana scena<sup>c</sup> admirandum maxime spectaretur, nihil spectari homine mirabilius respondisse.<sup>d</sup>

2. Cui sententiae illud Mercurii adstipulatur: «Magnum, o Asclepi, miraculum est homo».<sup>3</sup>

§ 2.

3. Horum dictorum rationem cogitanti mihi<sup>4</sup> non satis illa faciebant, quae multa de humanae naturae praestantia afferuntur a multis<sup>5</sup>: esse hominem creaturarum internuntium, superis familiarem, regem inferiorum; sensuum perspicacia, rationis indagine, intelligentiae lumine naturae interpretem; stabilis evi et fluxi temporis interstitium, et (quod Persae<sup>e</sup> dicunt) mundi copulam, immo hymeneum,<sup>6</sup> ab angelis, teste Davide, paulo deminutum.<sup>7</sup>

§ 3.

4. Magna haec quidem, sed non principalia, idest quae summae admirationis privilegium sibi iure<sup>f</sup> vindicent.

5. Cur enim non ipsos angelos et beatissimos caeli choros magis admiremur?

6. Tandem intellexisse mihi sum visus, cur felicissimum proindeque dignum omni admiratione animal sit homo, et quae sit demum illa conditio quam in universi serie sortitus sit, non brutis modo, sed astris, sed ultramundanis mentibus invidiosam.

7. Res supra fidem et mira.

8. Quidni? Nam et propterea magnum miraculum et admirandum profecto animal iure homo et dicitur et existimatur.

9. Sed quae nam<sup>g</sup> ea sit audite, Patres, et benignis auribus<sup>h</sup> pro vestra humanitate hanc mihi operam condonate.

§ 4.

10. Iam summus<sup>i</sup> Pater architectus deus hanc quam videmus<sup>l</sup> mundanam domum, divinitatis templum augustissimum, archanae legibus sapientiae fabrefecerat.

11. Supercaelestem regionem mentibus decorarat; ethereos globos aeternis animis vegetarat; excrementarias et feculentas inferioris mundi partes<sup>m</sup> omnigena animalium turba complebat.

12. Sed, opere consumato, desiderabat artifex esse aliquem qui tanti operis rationem perpenderet, pulchritudinem amaret, magnitudinem admiraretur.

13. Idcirco iam rebus omnibus (ut Moses Timeusque testantur) absolutis, de producendo homine postremo cogitavit.<sup>8</sup>

14. Verum nec erat in archetipis unde novam sobolem effingeret<sup>n</sup> nec in thesauris quod novo filio hereditarium largiretur,<sup>o</sup> nec in subsellis<sup>p</sup> totius orbis, ubi universi contemplator iste sederet.

15. Iam plena omnia; omnia summis, mediis infimisque ordinibus fuerant distributa.

16. Sed non erat paternae potestatis in extrema faetura quasi effeta defecisse; non erat sapientiae, consilii inopia in re necessaria fluctuasse; non erat benefici amoris, ut qui in aliis esset divinam<sup>a</sup> liberalitatem laudaturus in se illam damnare cogere.

§ 5.

17. Statuit tandem optimus artifex, ut cui dari nihil proprium poterat<sup>f</sup> commune esset quicquid privatum singulis fuerat.

18. Igitur hominem accepit indiscretae opus imaginis<sup>g</sup> atque in mundi positum meditullio<sup>h</sup> sic est alloquutus: «Nec certam sedem, nec propriam faciem, nec munus ullum peculiare tibi dedimus, o Adam, ut quam sedem, quam faciem, quae munera tute optaveris, ea, pro voto, pro tua sententia, habeas et possideas.

19. Definita caeteris natura intra praescriptas a nobis leges cohercetur.

20. Tu, nullis angustiis cohercitus, pro tuo arbitrio, in cuius manu te posui, tibi illam prefinies.

21. Medium te<sup>s</sup> mundi posui, ut circumspiceres inde commodius quidquid est in mundo.

22. Nec te celestem neque terrenum, neque mortalem neque immortalem fecimus, ut tui ipsius quasi arbitrarius honorariusque<sup>t ll</sup> plastes in quam [132v] malueris tute formam<sup>u</sup> effingas.

23. Poteris in inferiora quae sunt bruta<sup>v</sup> degenerare; poteris in superiora quae sunt divina ex tui animi sententia regenerari».

<sup>a</sup> *prophetam* add. P

<sup>b</sup> *cum eum rogarent eius discipuli* add. P

<sup>c</sup> *scena: scaena* P. *machina* legebatur antea, postea delevit P

<sup>d</sup> *Nihil ... respondisse*: post aliquas litteras probabiliter arabicas (fortasse *al-rajul* imperite scriptum) *idest hominem respondisse* add. P

<sup>e</sup> *Persae: magi* P

<sup>f</sup> *sibi iure: iure sibi* P

<sup>g</sup> *quae nam: quaenam* P

<sup>h</sup> *benignis auribus* om. P

<sup>i</sup> (*summus: sumus* R)

<sup>l</sup> *videmus: videtis* P

<sup>m</sup> *inferioris mundi partes: has mundi inferioris partes* P

<sup>n</sup> *effingeret: effigiet* P

<sup>o</sup> *largiretur: largiatur* P

<sup>p</sup> (*subsellis: subsellis* R)

<sup>q</sup> *esset divinam: divinam esset* P

<sup>r</sup> *ei* add. P

<sup>s</sup> *te: tete* P

<sup>t</sup> *honorariusque* om. P

<sup>u</sup> *formam: notam* P

<sup>v</sup> *sunt bruta: bruta sunt* P